



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

In Adelphum Episcopum, Sermo CXXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

enim supplicium damnati, ubi non est poena peccati. Itaque beatissimus martyr ostendens quam quiete iaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus: iam me versate, & si vna pars cocta est, vorate. Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non solum non arsit, sed & consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem. Ut fides non deficeret, ut spes non auerteretur, ut charitas inter poenas igneas corporales plus accederetur, Dei dona erant. Fratres mei, nemo arrogat potentiae suae quod non dat nisi Deus. Merito Apostolus alloquens martyres, ut in epistola eius hodie cum legeretur, audistis: Vobis, inquit, donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo. Ergo martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram. Voluntas enim sequitur, non praue nit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas: ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est qui timeat volens? quis est qui amet nolens? ferueat oratio, & festum Martyris celebretur: sed ut non sit inanis qui celebrat, imitemur.

Philip. 1.

In Adelphum Episcopum, Sermo CXXXVI.

Habet hoc Adelphi antistitis sanctus animus, & plena pietate dignatio, ut diues pauperis inter hospitium, pauperis se ponat ad mensam, & humilibus se faciat esse communem, quem diuitiae, potestas, honor fecit & reddidit singulari. Inter maximas enim virtutes numeranda est ista voluntas, quae contempto obsequij sui fastu despecta magnificae domus reuerentia, calcato etiam suae fastigio potestatis, & abiecta opum suatum interna conscientia, vnde tumor maximus humanis semper dominatur in mentibus, ad

vilissimas inopis se inclinavit angustias, vt suo pauperem contubernio sublimaret. Beatus plane iste animus, & ab omni morbo arrogantiae remotus, qui ad hoc pauperis diuersorium primus intrauit: vt ante humanitatis debitor, quam largitor existeret. Imitari Deum euidenter iste gessiuit, qui ante humana in corpore suscepit obsequia, quam beneficia homini diuina concederet, quod pontificem Dei summi praesentem Adelphum fecisse conspiciamus: qui cum sit verbo diues, scientia copiosus, magnus ingenio, loco primus, egeni sensus, & mediocris eloquij nostri audientiam concupiuit: illius Prophetae instar, qui illius viduae victum esuriuit extremum, & paruulorum eius sua fame vexauit angustias, nouum differens sua petitione ministerium, vt petendo tribueret, esuriendo saturaret, & exhauriendo, deficientibus horreum diuina largitate cumularet. Et nos filioli, quod habuimus, dedisse non poenitet: quia & si nos factum conturbauit, ad tempus reuelat, & solatur exemplum. Cito ad verbum huius Dei hominis exiguitas ingenij nostri, vt viduae illius partu, caelesti proficiet incremento, ac deinceps a reposito cordis nostri non vitae substantia deficiet, sed ipsa inopia abolebitur, & defectus. Felix vena, quae suo ditatur irriguo, & fluenta putei sui tota acquirit, atque attrahit libertate. Ecce venit, & sublimes vestros animos caelestis imber infudit: totoque impetu superni fluminis, quae in vobis est, ciuitatem Dei suo rigauit illapsu, vt terra nostra diuino ore madida centesimum vsque foecunderetur ad fructum. Aperite sensus, corda dilatate, & gremium vestrae mentis extendite: vt quicquid de caelestibus iste thesaurus vobis largiter effuderit, ad aeternam gloriam, & censum perpetem possidere possitis.

De